Nobilissimo Viro
D. Constantino Hugenio
Equiti
C. Barlaeus S.P.D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Obsequar imperiis. En, iam tibi seria mitto.
Verbaque purpureo quae placuere patri.
Inspice: cognosces animi commenta severi,
Et mixtos ~~null~~ aliquâ simplicitate iocos.
Lusibus, Hugeni, me progenuere parentes,
Lusibus et risu te genuere tui.
Lusibus aula vacat. vacat omnis lusibus ordo.
Ludit anus, mulier, virgo, puella, senex.
Omnia cum ludant, cum tota Batavia plaudat,
Unus ob amissas lugeat Aster opes:
Obsecro, ne noceant uni sua gaudia vati.
Cecropidae flenti praefero Democritum.

Mitto, quae ad Ill. Molinum scripsi, quaeque rescripsit ille, additis etiam versiculis Bonifacii Tarvisiensis Archidiaconi, et, quas reposui, Elogiis, minime (ita credas) elaboratis. Miserat ad me non ita pridem idem Senator Satyram eruditam, cui titulus Hieromastix, autore Veneto nobili, quae egregia libertate perstringit clerum Romanum. Eam remisi Nobilissimo Mylio, filio, uti et Elogiam sacram Urbani Pontificis. Vellem te legisse, Satyram inquam. Osii, Tedeschi, Vajra, versiculi, quorum mentionem facio in litteris meis ad Molinum, parum pensi habent, licet hoc ad Italos scribenti dissimulandum fuerit. Has chartas ~~eidem~~ Mylio patri remisi. Lectis tuis litteris gratulatus utique mihi fui, quod tecum in gratiam non redierim. Occurrit illud Hortensii oratoris Romani, qui gloriari solebat, se cum sorore nunquam rediisse in gratiam. Utinam Heroicam illam Invectivam viderem et apologiam pro Turno. Vel capitis mei periculo omnes ictus exciperem. Pythagoraeorum effato, aut lege talionis me solarer: εἴ κε πάθοι, τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο. Zoroastres, Apollonii Thyanaei, Medea, Circe, amissa restituite, Tuque triceps Hecate, aut ~~et~~ tria Virginis ora Dianae,

Has voces oblitera.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/411

Vix dixerim, quam me affecerit recens nuncium de rapto aureo vellere. portantur Iberi Regis opes pelago, et tantis dux Heynius (vellem aliud viro esset nomen) ausis. Vix imperare mihi possum, ne scribam Poemation aliquod huius argti. Ita sibi incaeptam:

Argolicas classes, spoliumque illustre Pelasgae
Pubis, et auriferam raptum de Colchide vellus
In Batavis jam, Belga, vides. En Tiphyn, et &c.

Habes caput. De ventre et cauda cogitent Musae.

Vale Vir praestantissime, et posthac mihi, praeter seria, à me exposita, ad quorum recitationem ipse è Curuli sella assurgat Cato, et infulam componat sacerdos.

Lugd. Bat. xi Calend. Decemb. CIƆIƆCXXIIX.

Redeant ad me ubi integra fuerint tua [illegible].

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/411

Nobiliſsimo Viro,
D. Constantino Hugenio,
Equiti, delibato amicorũ flori,

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/411